

*parum sapientiae habent<sup>1</sup>. Sapientia vero est quae nos monet: Ex fructibus eorum cognoscetis eos<sup>2</sup>: omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere<sup>3</sup>. Veritas, enim, iusta est quando mens, lingua et opera adeo vere concordant, ut quod quis sentit in corde, hoc proferat ore et perficiat opere<sup>4</sup>.*

c) Intentionem qua fideles agunt Pastor attendat; nam multi humana tantum ratione bene loquuntur et agunt, quae, etsi perscrutari Pastori sit illicitum, tamen, interdum, facile ac sponte ipsi demonstrant.

79. — Hisce [caeterisque quae facile subaudiuntur] mediis omnibus, suorum christifidelium caeterorumque cum quibus versatur studia moresque adeo Pastor prudens dignoscet ut, eorum peculiaribus necessitatibus sese caritative aptando ac subveniendo, regiminis, christiana observantiae ac apostolici ministerii praeclaros ex eis fructus, in christiana vitae bonum, perquam suaviter [eius iuxta munus] percipiat. Quae si, e contrario, Pastor negligat, Ezechielis illud, Israelis custodibus dictum, ipse merebitur: *quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis; sed cum austерitate imperabatis eis et cum potentia<sup>5</sup>.* Ne hoc tristissimum in eo impleatur, huic christifidelium praesertim studio adeo incumbat Pastor ut, iure meritoque, cum Apostolo ingeminare possit: *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos<sup>6</sup>.* Redemptor, enim, noster in mundum veniens, vasa irae fecit vasa misericordiae, et omnibus ad se venientibus pietatis suae sinum aperuit<sup>7</sup>.

#### Articulus IV.

##### DE PECULIARIBUS PRUDENTIAE ADIUMENTIS.

Sui ipsius, rerum paroeciae ac christifidelium agitione in Pastore supposita, ad prudentiae leges pastorali suo in regimine servandas, tum propriae, tum alienae experientiae studere, negotia bene gerendi artem probe callere, ac consilio uti valde iuvabit. Peculia in his prudentiae adiumenta continentur, quae breviter illustrare nostrum est.

<sup>1</sup> Sallustius, *Catilinar.*

<sup>2</sup> Matth. VII, 20.

<sup>3</sup> Ibid. VII, 16.

<sup>4</sup> S. Albertus Magn. *De Paradiso animae*, Par. I.

<sup>5</sup> XXXIV, 3.

<sup>6</sup> I Corinth. IX, 22.

<sup>7</sup> S. Gregor. Magn. in *Psalm. Poenit.* Psalm. V.

##### § I. — De experientia consulenda.

SUMMAE RERUM. — 80. Animadversiones praeviae. — 81. De experientiae fontibus et primum de propria. — 82. De aliena consulenda. — 83. De lectione ad hoc adhibenda. — 84. Quid de pratico experientiae usu tenendum. — 85. Conclusio.

80. — De experientia in regimine consulenda suadet Sapiens monendo: *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: Jam, enim, praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos<sup>1</sup>.* Ne dicas, igitur, *quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt; stulta, enim, est huiusmodi interrogatio<sup>2</sup>, sed interrogate de semitis antiquis quae sit via bona, et ambulate in ea<sup>3</sup>.*

81. — De experientiae fontibus cum dicere velimus, duplicitis differentiae [prout duplex ipsa experientia] eos esse comperimus, propriae, nimirum, ac alienae. — Experientia propria omnino aperte ab Ecclesiaste indigitatur, monenti: *Qui tentatus non est, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit...: qui tentatus non est, qualia scit?*<sup>4</sup> Quidquid, enim, quidam in contrarium autem, experientiam propriam salubriorem plerisque evadere certum est. Haec, enim, quum [persaepe] tribulationis filia sit, adeo oculos [prospera obcaecatos fortuna] adaperit, ut tum in mente, tum in corde altiora cruentioraque vestigia [demum in tempore revictura] defigat, quae et ostendit futura, et abscondita antequam eveniant<sup>5</sup>. Dolorosa, enim, tantum experientia pueri in homines commutantur, qui [quaquaversus indesinenter vexati] mundi nequitiam agnoscentes, sincere eum fastidentes et ad supernam Sanctorum Patriam toto corde anhelantes, ad illam pervenire indesinenter contendunt. Enimvero ut non secundus et favens ventus nauclerum expertum reddit, ita pacata nec fere ullis agitata casibus vita haud egregium Pastorem. Sane qui variae fortunae aestus experti sunt [propositis sibi variorum exemplorum imaginibus] adeo quae vitanda sequendaque sint aliorum in vita [tamquam in speculo] vident, ut in decernendo agendoque accitores prudentioresque efficiantur. *Mihi fortuna, multis rebus erectis, usum dedit bene suadendi de se ipso Mitridates*<sup>6</sup> obtestatus est; quod

<sup>1</sup> Eccles. I, 10 et seq.

<sup>2</sup> Id. VI, 16.

<sup>3</sup> Eccles. VII, 11.

<sup>4</sup> XXXIV, 11.

<sup>5</sup> Eccles. XLVIII, 28.

<sup>6</sup> In eius sententia.

et romanus ille [historicos inter facile princeps] monuit scribens: *Secondae res acrioribus stimulis animum explorant, quia, dum miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur*<sup>1</sup>; arbores quae aprica in valle crevere, fragiles extitere semper. Peracerba, igitur, experientia Pastores edoceat oportet, qua ad vitae luctam adeo fortiores efficiantur ut [veluti aurum in fornace probati, ac Servatorem nostrum imitati, qui *erat bona faciens et mala patiens donec suspenderetur in ligno*<sup>2</sup>] in ecclesiasticae praelatura tabernaculis adeo husque resplendentes, luce calore sanctaeque vitae documentis ac exemplis christifideles magis magisque collustrabunt. — Quamvis, insuper, quae aliorum ex experientia addiscere possumus documenta utilia sint, attamen numquam ad persuadendum tam efficacia extant quam quae nos ipsi experti sumus. Quae, enim, caeteris accident videmus ac audimus; quae nobis eveniunt et adeo sentimus ut diu penitusque pectori nostro insideant haereantque. Aliud, enim, se habet naufragare, ac aliud naufragium spectare; aliud naufragium, propriis e littore spectare oculis, aliud ex aliis illud enarratum audire. Pastor idcirco, etsi et aliorum experientia iuvetur, ad propriam tamen magis advertat animum; illud diligenter observando an propria culpa mala fiant, an adulatores vel amor proprius ea excusent, et in bonis forsan immutare contendant. Defixis, igitur, in Cruce oculis, transactae vitae sua aperire librum ac illum attente versare ne renuat Pastor, Divina collustrante Gratia, tum eorum qui bene, tum qui male cessere casus genuinas inquirere caussas ne ipse fastidiat, quo agenda vitandaque in posterum ipse aptius cognoscere possit. Si, enim, de bono malum trahere humanae misellae naturae est, bonum e contrario, ex malo deducere Divina Providentia consuevit; quo suademur ut, quamvis errores damnandi semper sint, attamen quae interdum ex ipsis habentur documenta in thesaurum nostrum recolenda existimemus. *Ex erroribus experientia nascitur; ex hac vero optimae imperandi regulae*<sup>3</sup>. Nemo, enim, repente fit sapiens, ac antequam prudentiae proxim assequatur quis, ut temporis institutionem excolat ac errorum schola se emendet necesse est. *Errando discitur*<sup>4</sup> vulgatum monet effatum, ac theoretica scientia, praxi complenda est. — Tandem ad hanc experientiam assequendam *utilissimum... erit cogitare quid alio sub Principe aut nolueris, aut volueris*<sup>5</sup>, quo superbiae stimulus refellendo, defectus culpaeque vitantur, ac caritas iustitiaque exercentur.

<sup>1</sup> Tacitus, *Histor.* Lib. I.

<sup>2</sup> S. Augustin. *Tract. IV.* in Ioan.

<sup>3</sup> Saavedra, *Op. cit.* Symbol. 28.

<sup>4</sup> In Proverbiis.

<sup>5</sup> Tacit. *Histor.*, lib. I.

82. — Et aliorum experientiam thesaurizare Pastor valde iubabit, quum quae praevienda providendaquesunt tantae molis sint ut omnia uni evenire haud consuescant. *Patriarcharum*, igitur, *nomina semper in pectore Praepositus ferat*<sup>1</sup>, idest antiquorum vita sine intermissione Pastor prudens *recogitet*<sup>2</sup>, quod quadruplici ratione assequi licebit, nimirum:

a) Cum aetate provectionibus consuetudinem Pastor habeat, dicente Scriptura: *in antiquis est prudentia, et in multo tempore sapientia*<sup>3</sup>, ac alibi: *quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium*<sup>4</sup>; *corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei*<sup>5</sup>. Veneranda, enim, senectus [annorum numero ac virtutum copia computata] disertissima vitae magistra est, quum eius ex labiis [quae spiritu sapientiae repleta<sup>6</sup> sunt] prudentiae flumina effluent. Illi, igitur, praebere aures omnes qui continent multitudines omnino decet, qui saepe eius ex verbis inopinatum lumen accipient, et quam si negligant in errorem misere dilabentur, prout, ipsis Sacris in Litteris regis Roboami historia apertissimo exemplo nos docet<sup>7</sup>. Veneranda, igitur, senectutis Pastores quos grandior aetas rerumque experientia docuit, qui, paroeciarum regimine periti, consilio auctoritateque valent, quibusque in arduis animus et industria, ac in secundis moderatio est, saepe Parochus adeat. Eorum, enim, ex consuetudine perinsignia pastoralis regiminis documenta ipse facilime percipiet, quae tot prudentiae secundae recta tutaque itinera sunt. Quod si omnibus, iunioribus praesertim, Pastoribus consulendum qui, prima vice, regiminis cathedram ascendunt, ne imperiti ac audaces ad ruinam properent.

b) Cum rerum peritis [quacumque aetate sint] frequens Pastor sit, monente Scriptura: *qui cum sapientibus graditur sapiens est*<sup>8</sup>, ac alibi: *audiens Sapiens, sapientior erit, et intelligens gubernacula possedit*<sup>9</sup>, ac iterum: *Cor sapientis quaeret doctrinam*<sup>10</sup>. Enimvero utilis semper est docti viri allocutio, quia aut discit audiens quod nescire se novet, aut cognoscit quod est amplius, id quod se et nescire nesciebat<sup>11</sup>. Pastor, igitur, doctiorum hominum consuetudinem adamet, eorumque enarrationibus ac consiliis attentas praebat aures. Quantavis, enim, sapientia ac experientia ipse polleat, attamen *impossible est, vel certo*

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. *Regula Pastoralis*, Par. III, cap. 2.

<sup>2</sup> Id. *Ibid.*

<sup>3</sup> Job, XII, 2.

<sup>4</sup> *Ecclesiasticus* XXV, 7.

<sup>5</sup> Id. *Ibid.* 8.

<sup>6</sup> *Deuteronomio* XXXIV, 9.

<sup>7</sup> Cfr. *Reg. II*, 12.

<sup>8</sup> *Prov. XIII*, 20.

<sup>9</sup> Id. I, 5.

<sup>10</sup> *Id. XV*, 14.

<sup>11</sup> S. Gregorius Magnus, *Epistolar.* Lib. VIII, epist. 29, *Ad Eulogium, Episcop. Alexandr.*

*admodum difficile ut qui opera ipse non tractat, perite valeat iudicare*<sup>1</sup>. — Quum vero quae absconduntur a sapientibus et prudentibus, saepe revelentur parvulis, nec humilium, sed rerum praxi pollentium, experientiam Pastor spernat.

83. — Et ex assidua lectione perplura et quidem magni momenti documenta percipiet. Igitur:

a) Sacram Scripturam, in primis et ante omnia, attente perlegat Pastor bonus, quae *divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*<sup>2</sup>. Maximum quippe robur mentis exhibetur Pastori cum id quod agit aut profert, Sanctarum comprobatur auctoritate Scripturarum. Tunc incedit secure, operatur intrepide, loquitur confidenter, non querit angulos, excusationes non meditatur, testimonio non indiget alieno, contentus proprio est. *Sint ergo Divinae Scripturae semper in manibus tuis, et iugiter in mente volvantur*<sup>3</sup>. Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat. Varia Scripturarum poma decerpit: his fruere deliciis, harum fruere complexu<sup>4</sup>. — Quamvis vero Scriptura omnis per insignia vitae vivendae documenta praebat, attamen, ad regimen quod attinet, Proverbiorum, Sapientiae, Ecclesiastici ac Ecclesiastes libri, tanta ad rem prudentia praestant ut praecpta inibi recensita si quis ad proxim deducat, perplura assequatur.

b) Post Scripturas Sanctas, doctorum hominum tractatus lege, eorum dumtaxat quorum fides nota est. Non, enim, necesse habet aurum in luto quaerere; multis, igitur, margaritis unam redime margaritam<sup>5</sup>. Quaecumque, enim, a S. Doctoribus virisque catholicis in libris memoriae commendata sunt, ad communem utique fidelium et maiorum Praelatorum eruditionem scripta sunt, quatenus in dubiis habeant quibus credant, in obscuris per quos instruantur, in adversis cui innitantur, et in cognitis per quae magis magisque roborentur<sup>6</sup>. Sanctorum ac praesertim D. Gregorii Magni<sup>7</sup>, Bernardi<sup>8</sup>, Francisci Salesii<sup>9</sup>, Petri Damiani<sup>10</sup>, Bonaventurae<sup>11</sup> ac Laurentii Iustiniani<sup>12</sup> volumina, assidua

<sup>1</sup> Aristotel. *Ethic.* Lib. VIII, cap. 6.

<sup>2</sup> II. Timoth. III, 16.

<sup>3</sup> S. Hyeron. Epist. 14. *Ad Celantiam*.

<sup>4</sup> Id. *Ibid.*

<sup>5</sup> Id. *Ad Nepotiam*.

<sup>6</sup> S. Laurent. Justin. *De Institut. et Regimine Praelatorum*, Cap. XV.

<sup>7</sup> *Moralis, Regula Pastoralis, Homiliae*, etc.

<sup>8</sup> *De Consideratione, Epistolae, Sermones in Cantica*.

<sup>9</sup> *Opera omnia*.

<sup>10</sup> *Epistolae, Institut. Ord. Eremita, De Perfectione, De Vita Eremiti, etc.*

<sup>11</sup> *De sex alis Seraphin.*

<sup>12</sup> *De Institut. et Regimin. Praelator.*

manu, diu noctuque Pastor pervolvat, eorumque praeclera ad rem documenta sedulo consideret, et ad proxim deducere satagat.

c) Tum generalem hominum; tum peculiararem Ecclesiae historiam Pastor discat, quae *conglobata quaedam et coacervata sapientia est hominumque multorum mens in unum collecta*<sup>1</sup>, vel uti chartae nauticae in quibus, cum alienis tempestatibus et navigationibus secundis, investigantur littora, solide explorantur maria, brevia deteguntur, comprehenduntur scopuli, regnandi linea designatur. Optimus Principum magister tempus est. Saecula praeterita veluti nosocomia quaedam sunt ubi cadavera Rerum publicarum et Monarchiarum, quae aliquando floruerunt, incidendo, inspiciunt et rimantur anatomici, ut praesentes tanto carent melius... Siquidem, praeterita, ut plurimum, futuris similia sunt, ac personis temporibusque mutatis, fere iidem semper, suo in tempore recurrentes, habentur eventus. — Et ex lectione eorum praesertim Scriptorum qui [fortuna vexati] magna experientia pollere, et qui pastoralis regiminis artem perbelle docuere, Pastoris experientia locupletabitur.

84. — Qui sit experientiae usus a Pastore prudenti facendus ut nunc dicamus res nostra postulat, ne quae tradidimus praecpta in regiminis convertantur noxam. Nil, enim, ipsi infestius quam omnia quae hinc inde ex aliorum experientia habentur documenta adamussim ad proxim redigere velle; quum aliorum eventus non uti praecpta aut leges, sed uti documenta tantum habenda sint. Ea, enim, sola exempla secure imitari quis potest, quae a caussis et rationibus intrinsece bonis et iuri naturali ac gentium communibus profecta fuerunt. Illae, enim, omnibus temporibus eadem sunt... Verum etiam in his casibus attentione opus est: mutari, enim, solent mores et aestimatio virtutum; nec novum aut insolens Principem aliquando per easdem, quarum beneficio uno tempore feliciter floruit, alio periisse. Oportet, igitur ut haec omnia expendat prudentia, neque ipsa sibi nimium fidat, sed varios consulat casus qui quotidie incident, neque futura pro certis habeat, quantumvis prudens iudicium et diligentia iis satis cavisse videantur. Non semper, enim, eventus respondent meritis, neque dependent ab ordinaria caussarum connexione, in qua consilii humani aliquis solet esse locus; sed ab alia caussa superiore, quae caeteras dirigit; ex quo fit, ut incertae sint cogitationes nostrae, et spes in illis fundata facile fallat<sup>2</sup>. Regulas ad rem paucis complectimur, nimirum:

a) Circumstantiae attendantur, quum praecipua boni pars in earum opportunitate contineatur. Est, enim, per difficile, ne dicam

<sup>1</sup> Saavedra, *Op. cit.*, Symbol. XXVIII.

<sup>2</sup> Id, *Ibid.* Symbol. XXIX.

omnino impossibile, ut in uno aliquo casu conditions eadem rationesque omnes quae in alio occurunt habeantur; quo fit ut, variatis condicionibus, varientur ipsi rerum eventus, in quos, interdum, casus fere plus potest quam ratio, et quibus neglectis remedia in detrimenta convertuntur. — Haec vero circumstantiarum perpendendarum ars [quae, a casibus dependendo, innumere variare possunt] nullatenus doceri potest, sed a Pastoris industria fere omnis pendet, qui [marte proprio] singulos attente discutere casus, ac prudentiae generalia praecepta illis aptare debet. — Quamvis, insuper, venerandae antiquitati maxima debeat reverentia, ac eius viae quas illa posteritati aperuit adeo planae sint ut per eas experientia [seculo gressu] incederet, attamen adeo in tempore multa immutari videmus, ut his omnibus adamussim insistere nullo modo liceat. Novitates, enim, non semper periculosae sunt, immo eas interdum ac prudenter introducere expedit, quum nisi mundus innovaretur passim, perfectior haud evaderet. Quo aetate hic procedit longius [aliqua saltem ratione] sapientior fit, ac propterea quamvis pertinaces laudatores temporis acti [qui nova omnia spernendo, antiqua tantum dilaudare venerarique consuescunt] numquam desint, attamen nec *omnia apud priores meliora, sicut neque omnia quae nunc facimus posteritati placebunt*<sup>1</sup>. *Multa duritie veterum, melius ac laetus mutata habemus*<sup>2</sup>, et tempus [egregius prudentiae magister] Maiorum abusus multos mitigavit commutavitque, quorum anteacta ad trutinam revocare, eos caute emendare ac [si opus est] delere prudentiae est. Pastor, igitur, haud tam anxie Maiorum premere vestigia debet, ut etiam, alicubi [ubi praesens occasio tulerit] sua ponere non audeat.

b) Et prudentiores haud defectibus carent, quo fit ut qui eos adamussim imitari velit, imprudentes efficiantur. Omnes enim homines, quamvis prima fronte perfecti videantur, attamen peccati labore ipsi quoque inficiuntur, et saepenumero tota cura nostra in eo est ut quod reapse sumus, caeteris occultemus. Haud, enim, omnes qui potentia pollut et pari sapientia excellunt, et, haud raro, potiusquam quae proferunt, quae tantum suadent insectare prudentius iustiusque est. Senecae gallinam [quae dum bene canit, male terram pedibus radit] multos imitari, usus cotidianus amplissime docet... Aliorum, igitur, tum dicta, tum facta [humilitate caritateque duce] ad prudentiae trutinam revocare oportet, quo [quantum ratio sinit] quae eius iuxta leges sunt imitemur; quae vero ab illa elongantur, vel ei quomodo adversentur hominibus saeculi [quibus de ea nulla cura est] relinquamus.

<sup>1</sup> Saavedra. *Loc. cit.*

<sup>2</sup> Tacitus. *Histor.* Lib. IV.

c) Non omnibus omnia licent decente, sed ut unicuique suum varium ingenium, propria aetas, peculiarisque [anteactae vitae obfirmata testimonio] auctoritas est, ita et in maioribus Praelatis, aequalibus ac subditis influxus varius variaque potentia insunt, quo fit ut quae uni licent congruantque, dedeant aut nefas alteri sint. Immo [ut Gregorianum consilium est] et *mirabilia Sancti Spiritus ab infirmis veneranda sunt, non imitanda*<sup>1</sup>, et electi quique Sanctorum vitam et venerantur ex sublimitate, et tamen non suscipiuntur ad errorem<sup>2</sup>.

85. — Ex his omnibus quae indigitavimus principiis, hi qui unam ad obrussam aliorum omnia experientiae documenta exigunt, ac unum aliumve adamussim imitari contendant, quantum a prudentiae legibus longe abeant facile comperietur; qui, dum prudentiam insequi volunt, nil aliud quam meram stultitiam sibi regiminique comparant. Maiorum itaque vita non prudentiae praeceptum, sed eius tantum documentum sit; in regiminis arte peritos aliquantulum imitare utique decet, at eorum adamussim ac in omnibus calcare vestigia omnino decet. *Caute, igitur, debet Pastor omnis considerare cuius verbis se credere debeat, cuius magisterio uti debeat, cuius exempla sequi debeat*<sup>3</sup>.

## § II. De negotiorum bene gerendorum arte a bono Pastore callenda.

SUMMA RERUM. — 86. Animadversiones praeviae. — 87. Generales ad rem industriae, et primum de bono universal reddendo, et qua ratione illud agendum. — 88. De agendorum numero moderatione. — 89. De ab incoepitis negotiis recessione. — 90. De nimia prudentia coercenda. — 91. Occasiones temporaque carpantur.

86. Et aliud est prudentiae maxime proprium, nimirum, negotia ad felicem successum gerendi ars. Nam ut Sapientiae laudem [mulieri tributae forti] operata est consilio manuum suarum<sup>4</sup>, Pastor quoque mereatur, ut operaे assuetus vir ipse sit omnino decet. Non, enim *per dialecticam placuit Deo salvare mundum*<sup>5</sup>, et Servator Noster non prius docere quam facere coepit; quod et Sancti Pastores omnes [Sanctos imitati Apostolos] fecere, qui quod intellectu considerabant, sic indefesse implebant opere, ut eorum praeclara facinora coetanei illustria, nunc etiam, plurimos post saeculos, admirantur posteri. Pastor

<sup>1</sup> *Dialogor.* Lib. I, Cap. I.

<sup>2</sup> *Moral.* Lib. XVIII, Cap. 49.

<sup>3</sup> Id. in *Cantic. Canticor.* Cap. I.

<sup>4</sup> *Prov.* XXI, 13.

<sup>5</sup> S. Ambrosius, *Etymolog.* II.

propterea adeo indefesse adlaborare debet ut Ecclesiastici encomium illud mereatur: *Mortuus est pater eius et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se..., reliquit defensorem domus contra inimicos*<sup>1</sup>. — Perplures quae in re traduntur normas [concinnitatis perspicuitatisque caussa] in generales et peculiares dispescimus.

87. — Normae ad rem generales plures habentur quarum prima ut bonum universale Pastor reddat iubet. Quo, igitur, magis diffundi possit, eo magis inhiandum ac p[re]e[st]o[ri]o[rum] alio, quamvis vere bonum sit, peculiari tamen anteferendum: bonorum vero in conflictu [nisi aliter adiuncta suadeant] primum consulendum. Caeterum, quum augere bonum prudentis charitativique Pastoris debitum sit, ut [quantum id fieri possit] quod peculiare bonum est in generale commutetur Praepositi omni contendant nisu. — Attamen et bonum ex ordine agendum; nam bona facere non sufficit, nisi discrete, qualiter, quando, ubi, quare agendum fuerit videatur<sup>2</sup>. Necesse, igitur, est ut non solum intueamur quid agimus, sed etiam cum quanta discretione peragamus, ne bona incaute faciamus<sup>3</sup>; ille, enim, tantum animarum zelus laudandus qui discretus, rectus, purusque sit. — Ad hoc vero assequendum tum res et personas, tum loca ac tempora considerare oportet.

a) Quoad res attinet, quae paroeciae propria caeteris ab ea extraneis, sacerdotalia saecularibus, necessaria congruentibus, quae proprium munus sunt iis quae aliis spectant, quae maiorem exitus remittunt spem caeteris incertis, urgentia minus urgentibus, utiliora utilibus, duratura labentibus, ea quorum nulli curae est his quibus multi student praferenda semper.

b) Quoad personas autem, cuiusque necessitates utilitatesque Pastor consideret prospiciatque. Ab omnibus, omnia, semper expostulare imprudentissimum esse sciat; nam haud omnes ad omnia semper apti, et si aliquid contra ingenium assequatur, quamvis, prima fronte, proficuum videatur, attamen nec vere bonum, nec diu mansurum tenendum. Naturam, enim, *etsi expellas furca, tamen usque recurrit*<sup>4</sup>. Pastores, tandem quod imperant hominibus, quod secundum leges imperant, quod non semper imperabunt<sup>5</sup> meminerint; ex qua triplici consideratione quam maxima prudentia locupletabuntur.

c) Quoad loca vero ac tempus, quae haec postulent suadeantque sedulo Pastor attendat, quum ex ipsis operis bonum plurimum pen-

<sup>1</sup> Eccles. XXX. 4, 6.

<sup>2</sup> S. Gregor. Magn. Moral. Lib. III, Cap. XIX.

<sup>3</sup> S. Bonavent., *De Sex Alis*, Cap. 7.

<sup>4</sup> Horat. *De Arte Poetica*.

<sup>5</sup> Stobeus, Serm. *De Magistr.*

deat. Interdum, enim, quae nunc ibique prosunt, postea alibique nocent, quae nunc ibique licitum, alibi vetita vel saltem dedecentia erunt.

88. — Paucis, sive possibilibus, Pastor contentus sit; nam multum et bonum haud facile sese inter componuntur, et ut fructuosiores arbores insipida saepe poma proferunt, ita actuosiores homines pauca valida praebent. Idcirco:

a) Potiusquam negotiorum extensioni, eorum intensitati consularit; perfectio, enim, non in quantitate, sed in qualitate continetur, et quamvis extensio magna sit, attamen saepe ad mediocritatem vix attingere potest, nec qui multa, sed qui utilia ac fructuosa querit sapit. Non multa, igitur, simul complecti Pastor velit; nam, *dum mens per plura extendit, ab una cui adhaerere debuit intentione se deiicit*<sup>1</sup>. Igitur si vis cum laetitia vivere, noli multa agere: in multis enim actionibus minor eris<sup>2</sup>. — Hac industria et alia quoque scopula a Pastore devitantur, effusio nimirum in exterioribus, virium extenuatio, cordis durities, amor immoderatus sui, fidelium despicientia, et ita porro, quae omnia ex hac immoderata actuositate [uti effectus a causa] dimanare consuecant.

b) Nec omnia Pastor agere velit, sed et posteris aliquid faciendum reliquat; multum, enim, adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praeccludetur occasio aliquid aliud adiciendi<sup>3</sup>. Si vero quod in suo grege acquirere concupiscit had assequitur Pastor, eo quod circumstantiae sinunt contentus ipse sit. In apostolatu vero alienum quippe quidem a prudentia non erit, etiam in proponenda veritate sensim producere, ubi res agatur cum iis qui a nostris institutis abhorrent a Deoque sunt omnino seiuncti. Resecanda vulnera, leni prius manu palpanda sunt<sup>4</sup>. Sicque, ex. gr. quum maiorem observantiam obtinere Pastor nequit, praceptorum saltem requirat: si pietatis opera ei negantur, vitiorum fugam saltem assequi contendat; si non omnia fugare vitia potest, graviorum crassiorumque extirpationem suadeat; si orationis usus denegetur, ut eleemosynae saltem largiantur contendat; si, tandem, pertinaces peccatores omnia recusant, benevolus ab ipsis recedat, et ut Gratia Dei [eorum in cordibus germinando] sanctum fructum suo largiatur in tempore precibus imploret.

89. — Quibusdam in circumstantis et ab incoepitis desistat Pastor, uti exercitus dux assolet qui, ad devitandam cladem ac ut ad vic-

<sup>1</sup> S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XXVI, Cap. 44.

<sup>2</sup> Syxt. Philosoph. *Sentent.* 253.

<sup>3</sup> Seneca, *Epist.* 64.

<sup>4</sup> Pius PP. X Encycl. *Iucunda sane*, IV id. mart. 1904.